

I. N. 3.

DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> GRADUALIS  
DE  
**P R Æ J U D I C I I S**  
**ŒCONOMIÆ**  
**N O X I I S.**

PART. PRIMA,

QUAM

ADNUENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPH.

P R Æ S I D E

**D. D. PETRO KALM,**

Oecon. Professore, Membro Reg. Ord. Wasens. & Reg. Acad. Scient. Reg. Societ. Litt. Ups. Regiæque Societatis Patriæ Stockholmens. nec non Gothob. litt. Humaniorum & Scientiarum Societ.

*Examinandam exhibet*

**RUDOLPHUS JOSEPHUS ESTLANDER,**

Ostrobothniensis.

IN AUDITORIO MAJORI Die XXIII Junii,  
MDCCCLXXVIII.

H. A. M. C.

---

*A B O Æ,*

Impressit JOH. C. FRENCKELL, R. Acad. Typogr.

§. I.

Poteſt unquam Philosophus viſere magis ridicu-  
lum ſpectaculum, quodque majorem ex imis  
eius penetralibus extorqueat commiferationem, quam  
cum videt homines, ut vocari amant, doctos, de ſua  
tumide ſuperbire eruditione, & alios minoris vel vi-  
lioris, ut credunt, doctrinæ compotes, altissimo fasti-  
dire ſupercilio? Fatemur, ſi placet, irridendos hos  
Polyhiſtores ſcire omnia, praeter tamen unicum illud,  
quod ſciebat Princeps Philofophorum SOCRATES:  
*ſe nihil fere ſcire.* Nefciunt itaque ſtultiſſimi hi ho-  
munciones, maxima eorum, quæ ſcimus, eſſe mini-  
ma eorum quæ nefciimus. Nefciunt vires noſtræ ra-  
tionis, veritati adſequendæ ſæpiſſime eſſe impares;  
nosque, cum veritatem ex puteo, in quem dicitur eſſe abdita, expiſcari adnitimur, errorum monſtra ſæpe  
extrahere, eadem dein ut veritates recipere, amare,  
diligere. Nefciunt denique, elegantiſſimas ſæpe &  
utiliſſimas ſcientias, per totum fere earum cam-  
pum, præjudiciorum carduis & loliis, immenſum  
quantum eſſe oppletas. Cum itaque Eruditii hi, per  
antiphraſin ita vocandi, tantam fuæ ignorantiae ha-  
beant

beant ignorantiam, quid mirum, inanes & ebullientes hafce animas, spumæ instar, quæ semper suprema natat, summa quævis fastigia aucupari, & illinc inferiora quævis contemnere, proculcare, fastidire. Cristas vero stolidæ horum superbiæ deprimere, nulla potens est Philosophia, etjam si acerrimis conspergeretur Satyræ salibus. Quid? quod stultitia hæcce et jam interdum videatur esse *immedicabilis herbis*, quæ tamen alias maniam sæpe juvare solent & tollere.

Superbiæ vero & præjudicia hujuscemodi hominum raro debellat Philosophus, quippe qui, quod frustraneum sit, agere non adnititur, sed potius summa cum indulgentia intuetur & dolet, nam, ut dicit acutissimus HELVETIUS: *un sot porte des sottises, comme le sauvageon des fruits amers; l' insulte, c'est reprocher au chene de porter le gland, plutot que l' olive* (a). Cæteri Eruditi ingenii multo sunt docilioris, qui ut sæpe errant, quod humanum est & inevitabile, ita etjam errores suos severe ad veritatis lucernam examinant, examinatosque sæpe rejiciunt. Quam vero arduum & difficile hoc sit examen, longa non indiget probatione; ex lamentabili enim, quod olim fecit genus humanum, naufragio, farta teftaque enatare non potuit alma Veritas, sed tam denso obruta quasi jam videtur luto, tantis squalida fordibus, ut istas, augustissimæ hujus Divæ faciei detergere, opus fit, non pium modo, sed etjam supra quam dici potest

A 2

diffi-

---

(a) Livre de l' esprit, tome premier disc. 2 Chap. x.

difficillimum. Sordes hæ, dira sunt *Præjudicia*, quæ veritatem, ut nubes solem, abscondunt, quæque tanto facilius nobis imponunt, quanto solent sæpius, mentita veri specie, nos fallere, & nubem pro Junone nobis sistere amplectendam. Hinc accidit, ut homo, veritatis viam totis viribus indagans, in media se errare præjudiciorum semita, attonitus respiciat. Infatibile illud, quo distinetur mens humana, sciendi studium, origo quoque una præjudiciorum ejus est. De omnibus rebus, intellectus ejus aciei quamvis sæpe imperviis, argumentari amat homo, quo aliter evenire nequit, quin sæpe loco ignorantiae errorem, infelici commutatione adsequatur. Hinc recte dicit Rex Poëta: *L'homme est un etre raisonneur, plutot que raisonnable (b).*

Cum itaque jam eruditos præjudiciis non esse liberatos, innuimus, apparet, plebem sive vulgum illis tanto esse magis fascinatum. Ea vero præjudicia, quibus animæ plebis seatent, multo crudioris sunt naturæ, & si cum eruditorum comparentur, sunt ab illis, ut noctis tenebræ a crepusculo, diversæ. Omne vero præjudicium, sive eruditum sit, sive plebejum, summopere est noxium; quod in omnibus scientiis maxime est verum, in *Oeconomia* verissimum. Lubet hoc præfenti dissertatione fusius exponere. Cum vero larga sit præjudiciorum in campo Oeconomico messis, cuncta hisce paginis complecti nequimus; sed initii loco nonnulla duntaxat atro carbone notemus præju-

---

(b) Poësies diverses par le Roi de Prusse.

præjudicia; aliis incepta nostra fortiori ausu perse-  
quendi laborem, qua par est observantia, commen-  
dantes.

§. 2.

Perniciosissimum in Oeconomia præjudicium, quod primo nos ponimus loco, est, quo plurimi sci-  
entiæ hujus incuriosi, credunt illam absolvi nuda arte arandi, stercorandi, seminandi & cæteras, quæ sunt rei rusticæ occupationes, exsequendi. Unde con-  
cludunt, vilem hanc esse scientiam, nullo indigam  
ingenio, nullo judicio, perspicacitate nulla. Nesciunt aut scire nolunt crassissimi impolitissimique hi Censo-  
res, præter *privatam* illam, quæ nominatis distine-  
tur negotiis, Oeconomiam, esse etiam aliam ejus par-  
tem, quæ Oeconomia vocatur *publica*, quæque tan-  
tum requirit ingenii acumen profunditatemque, ut vix ulla scientia majus majoremve. Esto vero, quod Oeconomia nil esset nisi ars arandi, seminandi, fruges-  
que colendi, nonne tamen scientia esset utilissima, i-  
psumque Rei publicæ palladium? Nonne varia va-  
staque requiritur eruditio, felicissimum ingenium, si e.g. rite pernoscat Oeconomus omnes dissimillimasque terrarum species, quarum nonnullæ qualitate, nonnullæ colore fallunt; nam, in aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, est laudabilis; in aliis pinguis rubrica melius respondet; in quibusdam pu-  
tres arenæ fœcunditate vel robustissimum solum vin-  
cunt; in multis denique locis densa & glutinosa ter-

ra maxime exuberat. (a) Hasce vero terrarum varietates rite & solide examinare & pernoscere, tam alti indaginis est opus, ut optimi nostri Physici, Chemici, atque *Oeconomi* in limine adhuc constituti esse videantur. De pluribus *Oeconomiæ privatæ* negotiis, numero licet & varietate, supra quam credi potest multiplicibus, non vacat dicere. Si vero ad considerandam *Oeconomiæ publicæ* naturam nos conferimus, illico apparebit, hanc scientiam adeo esse diffusam, ponderosam & sublimem, ut vulgaribus ingenii plane sit inpenetrabilis. Quid majoris potest esse dignationis, majorisque ingenii, quam adminicula & vias explorare & invenire, quibus salus publica felicissime juvari possit & firmari? Quid majorem meretur laudem ac gloriam, quam indagare: quænam vitæ degendæ rationes Reipublicæ cuivis maxime sint accommodatæ & utiles: quomodo hæ fortissime promovendæ, & cum cæteris vitam sustentandi generibus ita uniendæ, ut ne unum genus, aliis quidem utilius, cætera tamen prorsus suffocet: qua ratione *Oeconomia* militaris, tam navalis, quam pedestris atque equestris, summo cum vigore, summaque parsimonia instituatur: quibus artibus mercatura interna & externa, quæ nervi & artus sunt Reipublicæ, ad summum perducantur vigorem, ita ut jactura sit, si fieri potest, nulla, lucrum maximum: quibus adminiculis pecuniarum vis & circuitus ita queat

(a) Columella de re rustica Lib. I.

queat administrari, ut ne nervus hicce rerum gerendarum omnes paulatim exhauriat Reipublicæ nervos: qua cura & quo artificio Politia tam urbana quam rustica bene instituendæ beneque sint tuendæ, ita ut ad securitatem, valetudinem, commoditates, voluptatesque civium, quoad ejus fieri potest, maxime conferant: qua ratione tributa & vectigalia æquabiliter civibus sint imponenda, quaque solertia redditus publici administrandi: quibus, si translate loqui licet, philtris & incitamentis, matrimonia tempestiva & fertilia optime possint conciliari & firmari: qua dein regnandi prudentia summus civium numerus ad summam perducatur felicitatem: quibus pharmaciis ignaviae, paupertati & emigrationi civium succurratur: quinam pessuli, luxui, intensissimo Oeconomiae & felicitatis publicæ hosti, obdendi, ita ut privata luxuria odio habeatur, publica magnificentia prudenter adhibita diligatur. - - - - . Dies vero me deficeret, si omnes Oeconomiae partes vellem enumerare, quarum tamen singulæ tantæ sunt amplitudinis, ut totum requirant virum, aliis suam multum non imperientem curam. Et tamen, quod fatis mirari non possumus, sunt, qui dicant, Oeconomiam esse opificium, quod ad scientiæ dignitatem non valeat ad surgere! At suntne etiam alii, qui adhuc negent, horum opinionem teterimum esse præjudicium, & affirmant, posse aliquem sine acumine mentis, & sine exquisitissimis disciplinis almam pernoscere Oeconomiam?

Postquam generale quoddam præjudicium, quod totam adficit scientiam nostram, depexum jam dedimus; juvat ad specialiora procedere, quæ in hac vel ista Oeconomiæ parte noxæ solent esse & remoræ. Sic nimis vulgare apud nos est præjudicium, omnia ea, quæ exotica sunt, illis præstare, quæ nostra gignit tellus, nostræ fabricarunt manus. Quasi lotum gustavissimus, & omnem in Patriam pietatem expectoravissimus, ea anhelamus condimenta, & edulia, quæ ad Gangem pronata sunt aut Tiberim; iis humectari cupimus liquoribus, qui aut ad Rhenum expressi sunt aut Moselum; alia vix probamus utensilia aut vestimenta, quam quæ vel Sinensia sunt aut Gallica. Quid? quod etiam desperare didicerimus, morbos Svecicos unquam aliis quam Indieis sanari posse medicaminibus, quæ auro carius stulti emimus, & indigena medicamina multum sœpe efficaciora, ante ostia nostra virentia, impio pede proculcamus.

Simili stultitia vina exotica, immensa pecuniae mole nobis procuramus; cum tamen plurimi Oeconomorum nostrorum artem nos docuerint, ex baccis & floribus indigenis liquores præparandi & mulsa, quæ uivarum exoticarum vim & delicias æmulantur.

Vestimenta linteal, lanea & sericea in patria nostra multo contexuntur firmiora, sœpe etiam pulchiora, quam quæ ex exteris regionibus inferuntur; & tamen vides adulterinos mercatores (*Lurenträgare*), nefan-

) 9 (

nefandos hosce exoticornm pedissequos, summos ac-  
cumulare pecuniarum acervos, & opibus, divitiis ho-  
noribusque tam superbe florere, ut liquidus fortunæ  
rivos eos videatur inaurasse. Speramus tamen ma-  
leferiorum horum res ad restim olim esse reditu-  
ras, cum magis florere incipit labefactata nostra Oe-  
conomia, cumque Augustissimi nostri Principis, in  
commodum commerciorum & rerum manuariarum  
factæ ordinationes successu donantur exoptato.

§. 4.

Quod §. præcedenti annotavimus præjudicium;  
maxime solet Mercaturæ nocere & Opificiis; nunc  
mentionem injiciemus præconceptæ cujusdam opi-  
nionis, quæ Agriculturam, principem hanc Oecono-  
miæ partem, concernit. Culpant multi agrorum no-  
strorum infœcunditatem, & cœli noxiā frugibus in-  
temperiem, existimantes ubertate nimia prioris ævi  
defatigatum & effœtum solum nequire, pristina beni-  
gnitate, præbere mortalibus alimenta. Has vero cau-  
fas procul a veritate abesse certum habet COLUM-  
ELLA (a); quod neque fas est existimare, humi na-  
turam, quam primus ille mundi Creator perpetua  
fœcunditate donavit, quasi quodam morbo, sterilitate  
affectam, neque prudentis est credere, tellurem, quæ  
perpetuam juventam fortita, communis omnium pa-  
rens dicta sit, velut hominem confenuisse. Nec post  
hæc reor, (pergit COLUMELLA) intemperantia cœ-

B

li

---

(a) In præfatione librorum de re rustica.

¶ ) 10 ( ¶  
Si nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui  
rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifi-  
ci, noxae dedimus, quam majorum nostrorum opti-  
mus quisque optime tractaverit. Eloquentes hae Co-  
lumellæ rationes tanto evadunt ad rem probandam  
firmiores, quanto magis experientia suum illis super-  
addit pondus, ostendens tantum abesse, ut terra  
successu temporis sterilior reddatur & ingratior, ut  
potius quotidie videatur mitescere, eoque fieri ferti-  
lier, quo colitur diligentius; sic Galliae & Germaniae  
exemplum satis superque ostendit, regiones, quæ an-  
tea, propter hiemis violentiam, vix ullam stirpem O-  
leæ aut Vitis depositam custodire potuerunt, nunc  
mitigato jam & intepescente pristino frigore, largissi-  
mis olivatibus & Liberi vindemiis exuberare.

